CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

UNIVERSITY OF TORONTO

Level Two Medieval Latin Examination

10 April 2025

Translate **ALL FOUR** passages. Each passage will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL. You have three hours to complete the exam.

---

1 Adso of Montier-en-Der prays for Gerberga of Saxony and her family

Ex quo, domina mater, misericordie uestre gratiam promerui, semper uobis in omnibus fidelis fui, tanquam proprius seruus. Vnde, quamuis indigne sint apud Dominum preces orationis mee, tamen pro uobis et pro seniore uestro, domino rege, necnon et pro filiorum uestrorum incolumitate, Dei nostri misericordiam exoro, ut et uobis culmen imperii in hac uita dignetur conseruare et uos faciat in celis post hanc uitam secum feliciter regnare. Quoniam si Dominus uobis prosperitatem dederit et filiis uitam longiorem, scimus indubitanter et credimus ecclesiam Dei exaltandam et nostre religionis ordinem magis ac magis multiplicandum. Hoc ego, fidelis uester, opto et ualde desidero, qui, si potuissem uobis totum regnum adquirere, libentissime fecissem. Sed, quia illud facere non ualeo, pro salute uestra filiorumque uestrorum Dominum exorabo, ut gratia eius in operibus uestris semper uos preueniat et gloria illius pie et misericorditer subsequatur, ut, diuinis intenta mandatis, possitis adimplere bona, que desideratis, unde corona uobis detur regni celestis.

2. Saint Cuthbert appears to Hunred in a dream and instructs him to search for a lost manuscript when the tide goes out.

Cuidam namque illorum uidelicet Hunredo per uisum assistens, iussit ut estu maris recedente codicem, qui de naui (ut superius dictum est) medias ceciderat in undas, quererent: fortassis enim contra hoc quod ipsi sperare possent, Deo miserante inuenirent. Nam et de illius libri amissione, maxima illorum mentes perturbauerat mestitia….His perceptis, confestim somno expergefactus, uisionem se uidisse narrauit, moxque aliquos e sociis ad mare, quod erat uicinum, librum quem amiserant quesituros misit. Per id quippe temporis in locum qui Candida Casa (uulgo autem Huuiterna) uocatur, deuenerant. Itaque pergentes ad mare, multo quam consueuerat longius recessisse conspiciunt, et tribus uel eo amplius miliariis gradientes, ipsum sanctum euangeliorum codicem reperiunt, qui sicut forinsecus gemmis et auro sui decorem, ita intrinsecus litteris et foliis priorem preferebat pulchritudinem, ac si ab aqua minime tactus fuisset. Que res animos eorum anxios non parum gaudio releuauit, uirumque memoratum de ceteris que audierat minime dubitare permisit.

3. **Gottschalk of Orbais responds to a request by a young boy (*pusiolus*) to sing a happy song**

Ut quid iubes, pusiole,
quare mandas, filiole,
carmen dulce me cantare,
cum sim longe exul valde
intra mare?
O cur iubes canere?

Magis mihi, miserule,
flere libet, puerule,
plus plorare quam cantare
carmen tale, iubes quale,
amor care.
O cur iubes canere?

Mallem scias, pusillule,
ut velles tu, fratercule,
pio corde condolere
mihi atque prona mente
conlugere.
O cur iubes canere?

Scis, divine tyruncule,
scis, superne clientule,
hic diu me exulare,
multa die sive nocte
tolerare.
O cur iubes canere?

Scis captivę plebiculę
Israheli cognomine
praeceptum in Babilone
decantare extra longe
fines Iudę.
O cur iubes canere?

Non potuerunt utique,
nec debuerunt itaque
carmen dulce coram gente
alienę nostri terrę
resonare.
O cur iubes canere?

4. Pope Lucius II insists that Manassès, Bishop of Troyes, prohibit the leasing of canonical houses to jugglers, gamblers, etc.

Lucius, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Manase, Trecensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Audivimus et audientes nequivimus non mirari quod laici quidam in claustro vestro domos jure hereditario possidentes, tales personas plerumque admittunt per quas clericorum quies inhonesto strepitu sepe turbatur et devotio populi ne divinis intendat officiis prepeditur. Joculatoribus quidem, aleatoribus, cauponibus et mulieribus impudicis prescripte domus de consuetudine prava locantur. Volentes igitur communi ecclesie honestati consulere, auctoritate apostolica prohibemus ne domus canonicales ulterius laicis vel gratis dentur aut etiam sub quacumque occasione locentur. Constituimus etiam de domibus quas laici in claustro jure hereditario tenent, si eas in personis propriis cum honesta familia, exclusis inhonestis personis per quas clericis molestia generetur et honestas decoloretur ecclesie, inhabitare noluerint, non nisi clericis gratis vel pro pretio concedantur. Si vero prohibitioni tue contraire presumpserint, personas alias, quas domos ipsas contra mandatum nostrum inveneris inhabitare, contradictione et appellatione cessante, vinculo excommunicationis astringas, et donec cesserint facias ab omnibus arctius evitari.